

Ob-12 1886

1893 \$.



INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBURGENSIS

PER AESTATEM

A DIE XV. APRILIS ANNI MDCCCLXXXIII

INSTITUENDARUM.

PRAECEDIT PROF. DR. JULII MARQUARDT
DE FUNDAMENTIS PRINCIPII ILLIUS REFLEXI: „LEX DUBIA NON OBLIGAT”
COMMENTATIO THEOLOGICA. PARTICULA II.





BRUNSBURGAE.
TYPIS HEYNEANIS (R. SILTMANN).
1893.



LYCEI REGII HOSIANI H. T. PRORECTOR

D^{R.} HUGO WEISS

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.



1943.202

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBURGENSIS
R E C T O R E T S E N A T U S
CIVIBUS SUIS

S.

De fundamentis principii illius reflexi:

Lex dubia non obligat.

Duobus potissimum in prima parte usi sumus argumentis.

Quorum alterum ex ipsius legis notione ac natura desumptum est. Ex qua sequitur, ut lex sit nulla nulliusque momenti, quam is, qui ferebat, non satis promulgaverit promulgatamque manifestaverit iis, quos voluerit obligare. Idcirco promulgatio nota est necessaria vel, ut ajunt theologi, forma essentialis uniuscujusque legis obligantis; qua nota quae lex destituta est, ea simul est destituta effecta legis, i. e. vi obligandi. Promulgatio autem desideratur in lege dubia, quae eam ipsam ob causam, quod dubia est, tantum abest ut promulgata sit, ut ne perspicere quidem possimus, utrum existat necne, jubeatque quidquam aut fieri aut omitti. Quin immo istiusmodi legi legis ne nomen quidem vindicabimus. Propter promulgationem enim non factam nobis de ea nihil constat, nisi hoc unum, constare nihil. Nimirum nihil constat, quum dubitatio movetur sive quaestio sive opinio cum altera opinione pugnans. Verum enimvero totum hoc genus, utpote incertum, certae legis locum occupare ejusque vim obligantem obtinere nequit. Cf. part. I pag. 4—6.

Et de priore quidem argumento haec sufficiant. Alterum vero, quod a natura et libertate hominis profectum est, demonstravit, voluntatem humanam, caecam quandam per se animi facultatem, a voluntate divina, per legem enuntiata, nullo pacto tangi neque ad certam agendi normam adstringi posse, nisi antecedente cognitione legis. Atqui vera legis cognitio tamdiu a nobis abest, quamdiu de lege ejusque necessitate morali vere dubitamus, quandoquidem alicujus rei cognitio et dubitatio inter se consociari non possunt. Si quis autem nudam dubitationem vel opinionem incertam sufficere censeret, is doctrinae morali vitaeque ex ea aptae merum scepticismum obtruderet. Obligatio igitur, quae lege dubia efficiatur, nemini probabitur. Cf. part. I pag. 7—9.

Denique, duobus his argumentis inter se conjunctis, facile viam descripsimus, quam omnem legem inire ac persequi oporteat adeo, donec voluntatem humanam comprehendat ac vi sua obliget. Id quod spectantes singula legis genera dispeximus, docuimusque, conscientiam voluntatemque nostram nulla lege ligari, quae non emanaverit ex lege aeterna. Verumtamen lex aeterna voluntatem humanam ipsa per se nondum contingit, sed per singulas demum leges temporales, sive naturales sunt sive positivae. Ac ne temporales quidem leges auctoritatem divinam, ex aeterna lege ortam, prius ad voluntatem nostram applicant, quam eas mente ac ratione nostra percepimus, vidimusque, in certa aliqua re earum legum certam aliquam existere, quae nos aliquid aut jubeat facere aut vetet. Cf. part. I pag. 10—12.

Quae quum ita sint, effecisse videor, ubi nulla sit intelligentia legis, ibi nullam esse legis obligationem. Ut tribus verbis definiam: Lex dubia non obligat.

I.

1. Qui commentationis nostrae partem priorem perlegerint, supervacaneum fortasse hoc putabunt, quod illius summam brevi in conspectu denuo posuimus. Sed tamen hoc modo procedendum nobis visum est, ut lecturi facilius dijudicent, quae de tractatu nostro adversarius quidam nobis exprobravit.

Qui enim in „Jahrbuch für Philosophie und speculative Theologie“ dissertationis nostrae censuram scripsit, non dubitavit, quin explicatio nostra ad ea, quae inde emergerunt, consecraria non fuisset perventura, nisi „probabilistarum“ consuetudo nos eo provexisset, ut auctorum, quibus usi sumus, maximeque s. Thomae testimonia lacera potius quam integra ad rem probandam adhibuissemus, sententiarum tenore omisso. Apud Angelicum quidem nullum inveniri articulum, quem, servato contextu, „probabilistae“ ad tuendam suam doctrinam afferre possint.¹⁾ — At „probabilistarum“ eorumque doctrinae plane nullam nos fecimus mentionem, neque aliud probare studuimus, nisi principium nostrum, legem dubiam non obligare, firmissimis inniti fundamentis. Quod qui a nobis probatum firmatumque negat, is argumenta exhibeat necesse est, quibus probet contrarium. De s. Thoma, cujus articulum a censore dicimur depravasse, diligentius infra quaerendum erit. Quod vero „probabilistae“ fere consueverint, ex contextu singulos locos ad suum iudicium detorquere, ejus illorum consuetudinis ad id tempus nec ipsi quidquam deprehendimus nec ab alio quoquam certiores facti sumus, nedum isti consuetudini nos addixerimus. Continuas quidem librorum paginas transscribere vel ideo supersedimus, quoniam plerumque paucissima jam auctorum nostrorum verba ad ipsam rem faciebant eaque, sive per se spectas sive cum eis, quae praecedunt eis quae sequuntur, una recitas, unum idemque valent

2. Alia, quae idem criticus contra nos profert, jam id ipsum, de quo disputamus, attingere videntur; quam ob rem haec accuratius ponderabimus ita, ut commentatio nostra aliquantulum procedat et quaestionem, quoad ejus fieri poterit, omni ex parte absolvat.

Nos ut probaremus, voluntatem humanam lege morali non comprehendi neque obligari nisi per antecedentem cognitionem legis, inter alios testes s. Thomam de verit. qu. 17 art. 3 laudavimus, maxime prementes verba ejus haec: „Nullus ligatur per praeceptum aliquod nisi mediante

¹⁾ „Der Verfasser würde jedenfalls zu einem andern Resultate gekommen sein, wenigstens mit Rücksicht auf Thomas, wenn er nicht der Gewohnheit der Probabilisten gefolgt wäre, bloss kurze, aus dem Zusammenhange gerissene Stellen anzuführen, anstatt dem Zusammenhange selber zu folgen. Im Angelicus findet sich kein Artikel, den im Zusammenhange die Probabilisten, auch nur von ferne, für sich anführen könnten.“ Ita Dr. C. M. Schneider, in libro annali supra allato (Paderborn. Schönigh. 1891.), VI. 1. pag. 118.

scientia illius praecepti“ (part. I pag. 7). Quem locum respiciens adversarius noster arguit, Doctoris Angelici textum nos ita distorsisse, ut immutata videretur illius sententia. Aquinatem enim addere — idque quasi expressa inter se pactione probabilistas omnes praetermittere —: „Nisi quatenus tenetur scire praeceptum“; quod quomodo intelligendum sit, declarare eum progrediente articulo.²⁾

De opprobrio, quo censor noster in probabilistas invehitur, nullum omnino verbum facimus; credidimus autem, legem moralem eam, quae vetat de tot viris iisque et doctrina et probitate conspicuis tam male dicere, non dubiam esse, sed certam legem, quam unusquisque non scire solum, sed observare „teneatur“. Quod vero ad causam ipsam attinet, bene scivimus, in contextu s. Thomae a verbis illis, quae quidem maxime pressimus, proxima esse ea, quae praeter alia omisimus. Neque tamen haec eo consilio omisimus, ut articulum s. Thomae mutilatum redderemus mutaremusque auctoris ipsam sententiam, sed quod ad rem nihil omnino conferunt. An forte censor noster nescit, legis moralis praecepta ea, quae homo „scire tenetur“, a quaestione nostra prorsus esse aliena ac sejungenda? Quis unquam eo insaniae processit, ut praecepta, quae tam manifesta ac certa sunt, ut is, qui ea ignorat, ignorare non possit nisi „ignorantia culpabili“, praecepta dixerit dubia? Ceterum non negleximus per tractatum nostrum iterum iterumque monere, id omnibus curandum esse et maxime quidem, ne quis hanc ignorantiam et culpam in se admittat (cf. pagg. 1. 6. 7. 12). — Quibus praemissis, difficile intellectu est, quid sit, quod adversarius noster censeat, eam probandi vim ac sententiam, quam quidem nos articulo s. Thomae subesse voluimus, non esse ei subjectam, si verba illa: „Nisi quatenus tenetur scire praeceptum“ cum reliquo contextu exhibeantur. Esse quidem praecepta moralia, quae homo scire debeat, et „quatenus scire teneatur“, non sine culpa nescire possit, hoc inter omnes constat. Sed hinc sequi, ut omnia ea cadant, quibus s. Thomas in hoc articulo probavit, neminem lege obligari nisi „mediante scientia“ legis, certe nemo demonstrabit.

3. Facile adducor, ut credam, censorem nostrum ex illis verbis, quae nos non transscripsimus, idem fere nobis objicere voluisse, quod s. Alphonso objecit P. Patutius. S. Alphonsus enim hunc articulum Doctoris Angelici sexcenties fere omissis illis verbis: „Nisi quatenus etc.“ affert³⁾ — idque nulla, opinor, conventionem facta cum probabilistis — et semel tantum haec verba consulto atque cogitate adscribit. Ubi enim docet, „legem divinam, prout est actionum nostrarum mensuram, debere esse certam etc.“, hanc doctrinam etiam hoc ipso articulo s. Thomae comprobatur, dicens sic: „(Sed) hoc clarius et firmiter in alio loco statuit Magister Angelicus, ubi quaerit: Utrum conscientia liget. Et sic sermonem habet: „Ita se habet imperium alicujus gubernantis ad ligandum in rebus voluntariis illo modo ligationis, qui voluntati accidere potest, sicut se habet actio corporalis ad ligandum res corporales necessitate coactionis. Actio autem corporalis agentis nunquam inducit necessitatem in rem aliam nisi per contactum coactionis ipsius ad rem, in quam agit. Unde nec ex imperio alicujus domini ligatur aliquis, nisi imperium attingat ipsum, cui imperatur. Attingit autem ipsum per scientiam. Unde nullus ligatur per praeceptum aliquod nisi mediante scientia illius praecepti. Et ideo ille, qui non est capax notitiae praecepti, non ligatur; nec aliquis ignorans praeceptum Dei ligatur ad praeceptum faciendum, nisi

²⁾ „Der Verfasser fährt zudem den h. Thomas an, indem er dessen Texte so aus dem Zusammenhange losreisst, dass der Sinn verändert wird. Th. sagt allerdings: Nullus ligatur per praeceptum aliquod nisi mediante scientia illius praecepti; aber er fügt hinzu — und dies wird, wie nach ausdrücklicher Uebereinkunft, von allen probabilistischen Autoren ausgelassen — nisi quatenus tenetur scire praeceptum, und wie dies zu verstehen, erklärt er im Verfolg des Artikels.“ — Celeberrimi sane viri ejusdem pactionis socii sunt: Simar (Moraltheologie, pag. 133), Müller (theol. mor. lib. I. t. III. § 81. n. 13), Scavini (theol. mor. tom. I. n. 77, n. 86 et passim), Schwane (allgem. Moraltheologie, pag. 108), Hettinger (Timotheus, pag. 400), innumerabiles alii.

³⁾ Cf. Theol. moral. lib. I. tract. I. de consc. n. 65, n. 67, n. 78, n. 87 et passim.

quatenus tenetur scire praeceptum. Si autem non teneatur scire nec sciat, nullo modo ex praecepto ligatur. Sicut autem in corporalibus agens corporale non agit nisi per contactum, ita in spiritualibus non ligat nisi per scientiam.“ Nota illud: „Unde nullus ligatur per praeceptum aliquod nisi mediante scientia illius praecepti.“ Sed nunc audiamus objectiones P. Patutii . . . respectu ad hunc D. Thomae textum.“ Et postquam s. Alphonsus contra Patutium probavit, Aquinatem „voce scientiae“ non intelligere „notitiam dubii sive quaestionis, an lex adsit vel non“, neque intelligere „simplicem praecepti notitiam“ sive „notitiam probabilem“, sed „philosophos omnes cum eodem s. Thoma distinguere opinionem a scientia, quae accipitur ut cognitio certa alicujus veritatis“ etc. — quum, inquam, s. Alphonsus haec probavit, ad verbum dicere pergit: „Praeterea objicit super eundem textum D. Thomae P. Patutius verba illius: „Nec aliquis ignorans praeceptum Dei ligatur ad praeceptum faciendum, nisi quatenus tenetur sive praeceptum.“ Ergo (arguit Patutius), licet quis notitia praecepti careat, si tamen eam habere tenetur, jam ligatur praecepto, nec excusatur, si illud transgrediatur.“ Et quid s. Alphonsus habet, quod ad hanc objectionem respondeat? „Sed hoc“, inquit, „minime s. Doctor (Thomas) intelligit, tantum ibi docet, a peccato non excusari, qui praeceptum scire tenetur et culpabiliter illud ignorat. Id patet ex eo, quod in eodem articulo (ad 4) subjungit: „Tunc conscientia erronea non sufficit ad absolvendum, quando in ipso errore peccat.“ Quomodo in ipso errore peccatur, nisi ipse error est peccatum ob voluntariam negligentiam? Prout idem S. Thomas ex D. Augustino in alio loco aperte declaravit: „Ignorantia, quae est omnino involuntaria, non est peccatum, et hoc est, quod Augustinus dicit: Non tibi imputatur ad culpam, si invitus ignoras, sed si scire neglexeris (lib. 3 de lib. arbitr. cap. 19). Per hoc autem, quod ait: „Sed si scire neglexeris“, dat intelligere, quod ignorantia habet, quod sit peccatum, ex negligentia praecedente, quae nihil est aliud quam non applicare animum ad sciendum ea, quae quis scire debet“. De verit. qu. 3. art. 7 ad 7. Ergo nequaquam peccat, qui in duarum opinionum aequae probabilium haesitatione inquit legem et, debita diligentia adhibita, eam omnino dubiam invenit et ideo non obligantem.“⁴⁾

Sed hac de re procedente commentatione pluribus. Scire autem velim, quid tandem censorem nostrum adduxerit, ut hoc articulo s. Thomae, quo ad comprobendam nostram sententiam uti sumus, contra nos et s. Alphonsum uteretur. Confirmat enim, si quid video, ipse hic articulus validissimis argumentis, quod quidem omnes docuerunt: duo esse, quae voluntatem humanam obstringant vincula, in unum tamen connexa: tum conscientiam tum legem. Et conscientiam quidem obstringere eo, quod nobis legem pronuntiet, per quam Deus suam voluntatem patefaciat; sed legem non obstringere nisi per conscientiam, quae legem nobis ad cognitionem certam et actualem traducat. Namque „eadem virtus est, qua praeceptum ligat et qua conscientia, quum lex non liget nisi per virtutem scientiae.“⁵⁾ Haec autem est doctrina, quae eodem mihi videtur spectare, quo tendit, si recte intelligimus, nostrum illud: Lex dubia non obligat.

II.

1. Explicatius criticus noster de iis dicit, quae ex verbis s. Thomae concludenda esse censet.

„Danach hat nämlich Putatius ganz recht und Sylvius widerspricht ihm durchaus nicht, wenn er sagt: Leges divinas ab aeterno promulgatas fuisse et usque ab aeterno obligandi habuisse virtutem (Kraft), priusquam creaturae legem audirent et cognoscerent. Von vornherein nämlich verpflichtet die Gesetze Gottes, die hier gemeint sind. Sobald der Mensch zum Gebrauch seiner Vernunft kommt, ist er nämlich verpflichtet (tenetur), dieselben zu kennen, sowie er verpflichtet ist, nach

⁴⁾ L. c. n. 75.

⁵⁾ Thomas, de verit. l. c.

seinem mit der Natur und somit von Gott gegebenen letzten Zwecke zu streben und darüber nachzudenken. Patutius also spricht von „virtute“, während Sylvius betont, dass die erwähnten Gesetze actualiter nicht binden von Ewigkeit. Sie können ja ganz wohl die Kraft haben, zu binden, von Ewigkeit; aber sie binden thatsächlich erst, wenn derjenige existiert, der gebunden werden soll.“

Evidens et recta haec esse videtur argumentatio sententiaeque Patutianae explanatio, quam qui non accuratius exploraverit, vix inveniet, quod reprehendat. Ne quis autem arbitretur, hac aut novi aliquid nobis suppeditari aut etiam everti illud, quod hac de re fecimus iudicium, praemonere liceat, nihil in illa inesse veri, quod non jam ipsi probavimus probatumque lectoribus proposuimus; alia autem inveniemus in illa minus recte disputata esse. Examinemus jam singula!

2. De vi obligandi, qua leges divinae ex aeterno polleant, ex dissertatione nostra ne repetam plura, satis habemus in memoriam revocasse pauca haec: „ . . . Deus . . . ab omni inde aeternitate rerum omnium, quas ex nihilo condere voluit, . . . ratione voluntateque sua praeformavit ordinem omnibusque creaturis pro sua quibusque indole ac natura decrevit observandum“ et „hominibus ratione ac libertate praeditis ab aeternitate legem moralem conderet oportuit, qua instituti voluntati divinae libero arbitrio obtemperarent beneque morati in vita tum religiosa tum humana, et privata et publica, ordinem moralem servarent ad finemque tenderent ultimum.“ Esse igitur „legem principalem eandemque aeternam, . . . quam Deus simul cum natura humana deliberatam semper et constitutam habuit“, . . . eamque „in se vim obligantem semper habuisse atque habere, actualiter tamen non ligare nisi „mediante lege temporali (et naturali et positiva)“, ita quidem, ut „vim obligantem non prius in hominem exerceat, quam et hic ipse revera existat legemque aeternam per singulas leges temporales sibi propositam et promulgatam“ cognoscat (part. I pag. 9–10). — Paene credidimus, iudicem nostrum haec omnia similiaque non legisse; sin legerit, perfacile eum jam ex his intelligere oportuit, quoad Patutii sententia nobis placuerit, quoad displicuerit. Nam profecto, non ea de causa opinionem Patutii „novam omnibusque incognitam“ diximus, quod contendit, leges divinas in se virtutem obligandi ex aeterno habuisse — haec enim antiquitus tradita est omnibusque nota theologorum doctrina — sed quia hanc doctrinam verbis suis in eam partem traxit, quasi leges divinae aeterno illo consilio et decreto, quo Deus ante omnia haec tempora eas hominibus observandas destinavit, jam ita his omnibus promulgatae fuerint, ut vel sine ea promulgatione temporali, qua ad veram et actualem cognitionem singulorum hominum perferuntur, eos obstringendi vim habuisse viderentur.⁶⁾

Atque haec quidem opinio si veritate niteretur, non minus verum esset id, quod Patutius thesi sua statuere intendit: leges divinas jam aeterna institutione eaque sola tantum valere, ut in rebus etiam dubiis, ubi actualis earum promulgatio et cognitio desideratur, voluntatem humanam obligent hominemque de libertate depellant. Hanc igitur opinionem ut rejiceremus, tum paribus cum s. Alphonso et Sylvio armis usi sumus, tum auctore s. Thoma permultum interesse docuimus inter legem aeternam ejusque promulgationem „ex parte Dei promulgantis“ et inter legem divinam ejusque promulgationem „ex parte creaturae audientis et inspicientis.“ — „Nunc quaero, quaenam divinae legis promulgatio est illa, quae homines ligat? Promulgatio „ex parte Dei“, aut promulgatio „ex parte creaturae?“ Id declarat idem s. Thomas loco ubi dixit, quod lex, „ut virtutem obligandi obtineat, quod proprium est legis, oportet quod applicetur hominibus. . . . Talis autem applicatio fit ex hoc, quod in notitiam eorum deducitur ex ipsa promulgatione.“⁷⁾ Quapropter „ego assero (idque clare probabo), quod lex aeterna respectu hominum non est propria lex; propria enim lex quoad ipsos est lex

⁶⁾ Videsis interpretationem sententiae Patutianae apud Alphonsum l. c. n. 72 sqq.

⁷⁾ Thomas, I. 2. qu. 90. art. 4.

naturalis, quae licet sit participatio legis aeternae, ipsa tamen est ea, quae proprie homines ligat, quum lex naturalis tantum hominibus promulgetur et rationis lumine applicetur. Saltem dico (prout alii theologi loquuntur), quod lex aeterna, quamvis in se vim habuerit obligandi in actu primo, attamen non fuit lex obligans actualiter et in actu secundo, donec fuerit proposita et per cognitionem creaturis applicata: sicque asseveranter ajo a s. Thoma et ab omnibus theologis doceri⁸⁾. Ita s. Alphonsus⁹⁾; qui ut probet, quod promisit, quum ex aliis auctoribus tum ex Doctore Angelico, „quem Patutius omnino sequi profitetur (in hac tamen re aut nolle sequi aut intelligere videtur, dum s. Doctor nimis aparte et pluribus in locis nostram sententiam docet)“ — innumerabilia, inquam, s. Alphonsus testimonia citat atque explicat, quibus explicatis contra Patutium se planum fecisse putat, „legem divinam nullo modo homines obstrinxisse, nisi postquam actualiter eis promulgata ac manifestata fuit“; ergo lege dubia, utpote non promulgata et manifestata, neminem teneri.⁹⁾ Quae omnia qui legerit et perpenderit valde mirabitur, existisse aliquem, qui Patutii hac de re sententiam aliter, atque ipse Patutius et s. Alphonsus, acciperet eamque etiam defenderet. Vix possumus non suspicari, adversarium nostrum praeteriisse, quam strenue s. Alphonsus hanc ipsam sui adversarii sententiam impugnaverit et convicerit.

3. Scio, quid iudex noster contra sit dicturus. Dicet, se minime contendisse, leges divinas easdemque aeternas voluntatem humanam prius posse obstringere, quam homo ipse exstiterit sibi que eas leges propositas et promulgatas esse cognoverit. Quum tamen Deus his legibus omnes homines ex aeterno subesse voluerit, omnes quoque a Deo ea conditione generatos esse eaque ingenii vi et indole praeditos, ut omnes has leges jam naturali rationis suae lumine et possint percipere et debeant. Licet igitur obligatio moralis, quae ex his legibus voluntati humanae obveniat, nulla sit sine antecedente earum scientia, tamen primam et summam obligationem, quam hujusmodi leges secum ferant, in eo ipso positam esse, ut, quicumque ad usum rationis pervenerint, has leges vere cognoscant, neque officio suo eum satisfecisse, qui illas cognitias non habeat, sed nesciat. Itaque, ut jam verbis ipsius censoris nostri utamur: „Sobald der Mensch zum Gebrauch seiner Vernunft kommt, ist er verpflichtet (tenetur), dieselben (sc. leges) zu kennen, sowie er verpflichtet ist, nach seinem mit der Natur und somit von Gott gegebenen letzten Zwecke zu streben und darüber nachzudenken.“ — Non inutile erit, hanc explicationem paullo accuratius examinare; qua exminata, facile apparebit, principio nostro ponderis et veritatis non solum nihil detrahi, sed etiam plus afferri.

4. Dicimus igitur, a nullo theologo id unquam esse omissum, omnem hominem, quemadmodum obligatus sit, ut persequatur finem ultimum natura sibi a Deo propositum, sic eundem ad illas leges morales easque naturales alligatum esse, quas qui non servaverit, finem illum assequi non possit; quumque leges servare non possit, nisi quas cognoverit, eum id potissimum habere operis ac muneris, ut toto animo cogitet, quae qualesque sint illae leges et quid sibi praescribant. Quod ut revera possit, satis idoneis naturae animique dotibus a Deo instructus esse videtur. Nam ut taceam, haec praecepta negligenti et dissoluto generi humano propria revelatione auctoritateque divina promulgata et sancita esse, homo ad imaginem Dei creatus legem hanc divinam jam in mente sua invenit ab auctore naturae inscriptam naturalique, qua pollet, intelligentia conspiciendam, ita ut, quicumque ratione quasi lumine luceque naturalem quam dicunt legem ejusque partes exploravit, idem et legem aeternam ejusque singula praecepta explorasse videatur. Quapropter s. Thomas: „Regula“, inquit, „voluntatis humanae est duplex. Una propinqua et homogena, scilicet ipsa humana ratio; alia vero est prima regula, scilicet lex aeterna, quae est quasi ratio Dei“.¹⁰⁾ Id quod alio loco, ubi

⁸⁾ L. c.

⁹⁾ L. c. Monit. II. n. 87.

¹⁰⁾ Summa theol. I. 2. qu. 71. a. 6.

quaerit: „Utrum lex sit in nobis aliqua lex naturalis“, hunc in modum exponit: „Dicendum, quod lex, quum sit regula et mensura, dupliciter esse potest in aliquo: uno modo sicut in regulante et mensurante, alio modo sicut in regulato et mensurato, quia in quantum participat aliquid de regula vel mensura, sic regulatur et mensuratur. . . . Et talis participatio legis aeternae in rationali creatura lex naturalis dicitur . . . quasi lumen rationis naturalis, quo discernimus, quid sit bonum et quid malum, quod pertinet ad legem naturalem, nihil aliud sit quam impressio luminis divini in nobis.“¹¹⁾ Itaque „s. Doctor distinguit hic legem aeternam a naturali et docet, quod lex aeterna respicit Deum regulantem, lex autem naturalis respicit hominem regulatum, et quoniam lex naturalis est legis aeternae participatio, ideo in quantum participat aliquid de regula per legem naturalem, sic regulatur. Ideo in tantum lex aeterna homines ligat, in quantum ipsa hominibus per legem naturalem participatur eisque promulgatione innotescit.“¹²⁾ „Promulgatio autem legis naturae est ex hoc ipso, quod Deus eam mentibus hominum inseruit naturaliter cognoscendam.“¹³⁾ „Licet“ igitur „lex aeterna sit nobis ignota, secundum quod est in mente divina, innotescit tamen nobis aliquo modo per rationem naturalem, quae ab eo derivatur ut propria ejus imago, vel per aliqualem revelationem superadditam.“¹⁴⁾

5. Sed alia est ratio Dei „regulantis“, alia hominis „regulati“: illa per se absoluta et perfecta omnisque luminis fons, haec imperfecta per se et imbecilla et quasi sublucana. Illius ea natura, ut ordinis moralis summum principium sit et exemplar omnesque ordinis partes ex sese ipsa intueatur; hujus id munus proprium, ut ordinem moralem ejusque praecepta tamquam ex signis et vestigiis in natura humana impressis exquirat et componat. Quare ratio humana, quamvis a Deo lumen libatum et acceptum habet, tamen clarissimum illud rationis divinae lumen perfecte nunquam reddet neque legem naturalem tam explete cognoscet nobisque promulgabit, quam plene et absolute Deus intelligentia sua ex aeterno eam concepit et perspexit. Ex quo fit, ut, quae mentibus nostris, quantumvis cogitemus, ad legem naturalem pertinentia ex natura nostra colligimus, non in omnibus rebus difficillimis menti divinae legique aeternae respondeant, sed in multis rebus obscura atque incognita nobis maneant. Quae igitur quasi involuta latent atque a nobis ne contentione quidem omnium virium explicari possunt, ea quidem ad legem naturalem, qualem Deus mente sua ex aeterno concepit (antecedentem), pertinere possunt, non vero ad legem, qualem mentibus nostris percipimus (consequentem); unde sua sponte intelligitur, ea, etsi forte sint legis aeternae, tamen non ita nobis promulgata esse, ut „mediate scientia“ voluntatem nostram obligare possint.¹⁵⁾

6. Jam vero, si haec ita sunt, res in magnum, opinor, discrimen ab eo perducta est, qui sine omni discrimine ac delectu leges naturales ita obligare dixit, ut, quicumque ad usum rationis pervenerit, eas scire „teneatur“. Num Deus revera obligationem moralem, quam leges homini deferant, latius patere voluit, quam patet humana legum cognitio? An humana legum cognitio latius patet, quam patet rationis humanae vis et intelligentia? Sunt quidem, ut jam alibi docuimus (part. I. pag. 12), prima summaque naturae judicia et praecepta, quae luce solis omnibus videntur clariora; alia ex illis principiis deducenda vel omnibus sese offerunt vel a viris eruditis erui per noscique possunt et cum insciis rudibusque communicari. Quae omnia, quum explorata sint et certa, haud scio an nullus theologus numeraverit inter praecepta dubia, licet homines minus eruditi pro tempore et pro re vel hoc vel illud sine culpa possint nescire.¹⁶⁾ Sed alia tam

¹¹⁾ L. c. I. 2. qu. 91. a. 2.

¹²⁾ Alphonsus l. c. n. 72.

¹³⁾ Thomas l. c. I. 2. qu. 90. a. 4.

¹⁴⁾ Thomas l. c. I. 2. qu. 19. a. 4.

¹⁵⁾ Cf. Lehmkühl, theol. mor. tom. I. tract. 2. n. 186. — Katholik, Mainz 1874, pag. 301—302.

¹⁶⁾ Cf. Thomas l. c. qu. 94. a. 4; qu. 100. a. 1. — Scavini, theol. moral. tom. I. lib. I. tract. II. disp. I.,

dubia sunt tamque difficilia ad solvendum, quae ratione humana vix enodari posse videantur; in quibus non videmus, quomodo aliquis obligari possit, ut sciat, esse aliquid lege divina sive jussum sive vetitum, quod vel doctissimi viri dubitant, num sit sive jussum sive vetitum, et dubitantes nesciunt. Hinc ortas esse videmus plurimas illas controversias inter ipsos doctores christianos eosdemque sapientia et peritia praestantissimos, qui permultas huc spectantes quaestiones non sine magna dissensione tractaverunt et opinionibus inter se discrepantibus, quarum alia alii videbatur magis minusve probabilis, huc illuc traxerunt.¹⁷⁾ Quae quidem opiniones, quantumcunque nonnunquam ad illustrandas quaestiones conferunt, tamen leges ipsas, quibus illae favent, haec repugnant, tantum abest ut nobis promulgaverint, ut dubias et incognitas reliquerint. Quomodo enim, „si aliquod praeceptum est dubium et obscurum, prout accidit in conflictu duarum opinionum aequae probabilium, quomodo dici potest praeceptum sufficienter notificatum? Tum non est satis notificatum praeceptum, sed tantum dubium praecepti, prout supra ostendimus. . . Quapropter eo casu solummodo potest dici, quod praecepti dubium habemus, non autem cognitionem. Et revera, quomodo unquam dici poterit, nos legis cognitionem habere, quum vere nescimus, an lex existat vel non? Tunc bene asserere valemus, quod legem nescimus, et ideo non tenemur, juxta s. Thomam, in particulari conformari voluntati divinae in eo voluto materiali, quod nobis ignotum est; Deus enim nobis non praecepit obedire suae voluntati, quae non adhuc est nobis patefacta.“¹⁸⁾

7. Quae res quum ita se habeat, res jam ad liquidum perducta est et in nostrum illud reducta: Lex dubia non obligat, ne naturalis quidem lex. Fieri enim non potest, ut aliqua lex auctoritate divina voluntatem nostram ad certam agendi necessitatem prius magisve alleget, quam per rationem nostram, voluntatis divinae interpretem et praeconem, cognita sit nobisque promulgata. Quapropter nemo lege tenetur „nisi per virtutem scientiae“ (Thomas). Atqui scientiam legis nullo pacto assequitur is, qui gravi de causa id ipsum dubitat, num existat lex, quae in certa quadam re vel faciendi aliquid vel omittendi necessitatem imponat. Dubitare enim non possumus, nisi quod non intelligimus, sed nescimus. Quamdiu igitur, diligenti facto examine, de lege proprie vereque dubitamus,

¹⁷⁾ Accurate et erudite hanc rem persolvit s. Alphonsus in dissertatione, „in qua ostenditur, dari ignorantiam invincibilem in nonnullis ad naturalem legem spectantibus“ (l. c. tom. I. lib. I. tract. 2. n. 170 sqq.). Ex. gr. „nos non latet, s. Thomam defendere, judicem debere damnare illum, quem in jure constat esse reum, licet ipse iudex sciat illum esse innocentem; sed s. Bonaventura id negat. E converso s. Bonaventura tuetur, peccatorem, nisi statim a commisso peccato confiteatur, novum patrare peccatum, idque negat s. Thomas. Atque id genus exempla eruditorum sanctorumque virorum, qui de praeceptis naturalibus discutientes discordes manserunt, ait s. Antoninus, sexcenta prope afferri posse.“ Alphons. l. c. n. 174. — At vero criticus noster, qui censet, hominis ratione utentis officium id esse, ut leges huc pertinentes noverit, idemne de iis etiam naturae praeceptis dictum esse vult, quae ne sapientissimi viri christiani pernoverunt? Hoc dicere nihil aliud esset quam culpam crassae ignorantiae in eosdem ipsos conferre. Unde vel maxime apparet, quanta confusione rem is obruat, qui ea, quae sine „ignorantia culpabili“ nesciri non possunt, a quaestione nostra non excludit.

¹⁸⁾ Citaverat enim s. Alphonsus, quae apud s. Thomam de conformanda humana cum divina voluntate legimus, verba haec: „Dicendum, quod volitum divinum secundum rationem communem, quale sit, scire possumus; scimus enim, quod Deus, quidquid vult, vult sub ratione boni. Et ideo quicumque vult aliquid sub quacunque ratione boni, habet voluntatem conformem voluntati divinae, quantum ad rationem voliti. Sed in particulari nescimus, quid Deus velit; et quantum ad hoc non tenemur conformare voluntatem nostram divinae voluntati (l. 2. qu. 19. a. 10). . . Non quantum ad omnia (sc. materialiter sive in particulari) tenemur conformare voluntatem nostram voluntati divinae, ut supra habitum est. . . (Sed) etsi non semper tenetur homo velle quod Deus vult, semper tamen tenetur velle, quod Deus vult eum velle. Et hoc homini praecipue innotescit per praeceptum divinum“ (II. 2. qu. 104. a. 4). — „En igitur s. Doctor bene explicat, nos non teneri sua praecepta servare, nisi postquam illa nobis sunt manifestata. Itaque homo tenetur parere Deo et conformari ipsius voluntati non jam in omnibus, quae Deus vult, sed in eo tantum, quod Deus vult nos velle. Sed quomodo sciemus id, quod vult Deus nos velle? Sciemus, inquit s. Thomas, quam praecipue innotescit per praecepta divina. Non sufficit ergo dubia notitia praecepti, ut teneamur servare praeceptum tamquam Dei volitum, sed requiritur insuper notitia praecepti certa et manifestata: hoc quidem significat verbum illud: innotescit.“ Alphons. l. c. n. 78.

tamdiu hanc legem et quam haec lex secum ferat necessitatem moralem ratione nostra non cognoscimus, sed nescimus, ideo nec videmus, quo jure a ratione nostra, ut voluntatis divinae nuncia, voluntati nostrae lex et necessitas injungi possit. Si ex aequo justoque hanc rem dijudicamus, voluntas nostra a ratione tanto minus adduci potest, ut necessitatem suscipiat, quanto minus ratio ipsa eo pervenire potest, ut necessitatem intelligat.¹⁹⁾ Ut autem minor nescissitas, ita potior libertas; ergo lex dubia libertatem nostram non obligat.

III.

1. Ne dicas, legem divinam eamque naturalem, quam Deus ante omnia haec saecula mente sua conceperit hominibusque praestituerit, tum ipsam esse aeternam tum libertati humanae, quippe facultati animi creati et finiti, longe praecedere. Unde necessario effici cogique, ut in rebus etiam dubiis, in quibus lex et libertas inter se de principatu certare videantur, lex sit libertate potentior, i. e. ut lex aeternam, quam habeat, vim obligandi in possessione sua retineat hominemque de libertate depellat. Quis est autem, quin videat, ex aeterno illo consilio, quo Deus rerum ordinem praeformavit et condidit, naturam libertatemque humanam non minus esse profectam quam legem. Qui enim ex aeterno mente divina universi mundi ordinem ita praecipit, ut singulis creaturis legem constitueret pro sua quibusque indole ac natura peculiarem atque propriam, idem Deus ab omni inde aeternitate simul et naturam creaturarum, quibus legem esset aptaturus, deliberatam semper et constitutam habuit, ac legem moralem non aliis praescribere potuit creaturis, nisi quas ante cognovit atque voluit libertate esse donatas. Itaque in rerum ordine divino haec potius inter libertatem humanam et legem moralem ratio intercedit, ut non lex libertatem, sed libertas legem natione ac natura antecedit, neque libertas legis causa, sed lex libertatis causa a Deo sit instituta. Id quod mentibus nostris tanta cum vi persuadendi se offert, ut aliter rem se habere ne cogitare quidem possimus. Quemadmodum enim absurdum est, officia injungere ei, qui non sit praeditus, qua iis satisfaciatur, libera voluntate, sic est absurdum, hominem ea, qua diximus, ratione non prius exstitisse liberum, quam exstiterit lex ei imposita. — Sed quid multa? Belle atque evidenter s. Alphonsus, Doctorem Angelicum secutus, objectionem, quae huc pertinet, Patutii adversarii refutavit verbis his: „Objicit, legis aeternae possessionem nostrae libertatis possessionem antecedere; ideoque ait, quod in dubiis opinio, quae stat pro lege, praeferrri debet. Respondeo. Jam supra vidimus, quod Theologi dicunt, legem aeternam respectu hominum non esse vere et proprie legem. Sed concessio, quod sit, nequaquam dici potest, legis aeternae obligationem possidere antecederet ad libertatem a Domino homini donatam. Quamvis enim nulla sit in Deo cognitionis et consilii successio, quia omnia Deo ab aeterno praesentia fuerunt, nihilominus prioritatem rationis sive naturae homo in mente divina ante legem contemplatus est; prius enim a legislatore considerantur subditi juxta propriam naturam et eorum statum, et postea consideratur lex conveniens eis imponenda. Dico conveniens; siquidem Deus aliam legem statuit pro angelis, aliam pro hominibus: et pro his aliam pro sacerdotibus, aliam pro laicis: aliamque pro conjugatis, aliam pro caelibibus. Haec doctrina utique non est mea, est s. Thomae, qui (I. 2. qu. 91. art. 1.) ponit quaesitum: Utrum sit aliqua lex aeterna? Et ad primum

¹⁹⁾ „Der Wille kann nur bestimmt werden in Folge der Erkenntniss. Er wird nur vermittelt der Erkenntniss gebunden und genöthigt. . . . Nur dann, wenn der Verstand etwas als Nothwendiges erkennt und an etwas gebunden ist, nur dann kann von irgend welchem Nöthigen und Gebundensein des Willens geredet werden. . . . Ist nun wohl bei zweifelhaften Fällen jene Beschränkung und Nöthigung vorhanden, welche durch das Gebundensein der Erkenntniss herbeigeführt werden muss? Ist etwa in zweifelhaften Fällen der Verstand gebunden? Nein, er bleibt frei in seinem Urtheil, und zwar frei in vernunftgemäsem Urtheil. . . . Dann ist aber auch der Wille nicht gebunden; es existirt also keine Verpflichtung, kein eigentliches Gesetz.“ Katholik, I. c. pag. 302—303.

sic sibi objicit: Videtur quod non sit aliqua lex aeterna; omnis enim lex aliquibus imponitur: sed non fuit ab aeterno, cui aliqua lex possit imponi, solum enim Deus fuit ab aeterno; ergo nulla lex est aeterna. Et respondet: Ad primum dicendum, quod ea, quae in se ipsis non sunt, apud Deum existunt, in quantum sunt ab ipso cognita et praecordinata, secundum illud ad Rom. c. 4. v. 17: Qui vocat ea, quae non sunt, tamquam ea, quae sunt. Sic igitur aeternus divinae legis conceptus habet rationem legis aeternae, secundum quod a Deo ordinatur ad gubernationem rerum ab ipso praecognitarum. Adverte: rerum ab ipso praecognitarum. Itaque, prioritatem rationis, prius a Deo consideratus fuit homo tamquam liber, et deinde considerata fuit lex, qua homo ligandus erat. Exempli gratia: Deus ab aeterno prohibuit homicidium, ergo prioritatem rationis, prius consideravit homines, qui interfici possent, et postea praecceptum dedit eis, ne alter alterum interficeret²⁰⁾

2. Verum quidem est nec diffitendum, homini naturaliter una cum libertatis dono atque jure etiam debitum et officium ingenitum injunctumque esse. Namque Deus hominem, quem supremae suae sanctissimaeque voluntati non subjeceret, cogitare creareque nullo pacto potuit, et homo, quum sit a Deo creatus, simul ea lege natus est, ut quum in omnibus rebus tum in ipsius libertatis usu ex creatoris pendeat voluntate. Idcirco Deus homini una cum libertate legem dedit moralem, quae secundum sanctam suam voluntatem illos ei terminos statueret, intra quos libertate ita uteretur, ut ad ultimum suum finem perveniret. Sed hanc legem moralem, quae libertati humanae pro norma atque amissi est, non ita interpretabimur, quasi ex lege demum libertas moralis tamquam ex fonte emanaverit. Hoc si quis statuerit, is legem non solum ut causam exemplarem agnoscat, ad quam homo libertatem suam ejusque usum dirigat, sed ut causam efficientem, a qua libertatem moralem acceperit; quod quidem nemini probabitur. Quid autem sibi vult lex, quae libertatem moderetur, nisi de ipsa libertate jam constat? Utcunque igitur eam rem consideras, ratione naturae habita libertas legem praecedit, lex libertati succedit, illa priorem, haec posteriorem locum occupat.

3. Quae si recte sunt disputata, facile intelligitur, quam recte s. Alphonsus notum illud juris principium, in quod omnes leges totiusque generis humani suffragia conveniunt, ad quaestionem nostram referat, dico vulgatissimum illud: „In dubio melior est conditio possidentis“²¹⁾ Quod ut ex mente s. Doctoris brevissime explanemus, res ita est comparata, ut inter libertatem et legem quasi litem quandam institui atque disceptari videamus, quam ad hanc redigamus formam. Et altera quidem pars — libertas humana — jus illud a Deo sibi donatum tuetur, ex quo homini agere licet, quod justa de causa agere ipsi placet; et altera pars — lex — jus ab eodem summo Deo sibi datum ita persequi studet, ut libertatem humanam cohibeat finibusque quibusdam circumscribat. Utra, quaeso, pars jus suum a natura jam certe possidet, quumque possideat, in meliori est conditione? Et utra pars jus illud, quod quidem ipsa sibi vindicat, prius debet demonstrare, quam poterit ad effectum perducere? Ad quam quaestionem, respectis iis, quae supra exposuimus, unum respondemus hoc: libertatem humanam, quae quidem est ejus vis ac natura, in hujusmodi causa haud dubie esse potiore quam legem. Libertas enim „prioritate naturae“ jus suum ejusque usum legitima certa possessione jam tenet; lex vero suum jus, quotiescunque eo utetur, singillatim ostendat necesse est, ita quidem, ut hominem de justa libertatis possessione tum demum valeat dejicere, quum idoneis certisque argumentis auctoritatem suam divinam vimque obligandi evicerit. „Ergo, ut contra certam hominis libertatem praevalcat lex, ejus certitudo moralis omnino requiritur, ut vim libertatis infringere valeat. . . Quid igitur? Quamdiu lex certa non proferat argumenta suae existentiae, ego jus habeo

²⁰⁾ Alphons. l. c. n. 77.

²¹⁾ Cf. Alphons. l. c. n. 26 et passim. Rappenhöner, Allgemeine Moraltheologie pag. 180—181. Müller, theol. moral. lib. I. t. III. § 73. n. 10.

insistendi in mea libertatis possessione²²⁾ — Vel ut aliis verbis dicam, quod sentio: Licet homini, rebus diligenter perpensis, omnia agere, quae lege non sunt vetita; neque vero omnia ei interdicta sunt, quae ei non proprio, ut ita dicam, privilegio sunt concessa.²³⁾ Namque libertatis jus, quo unusquisque utitur, per se est ratum ac certum, legis vero, quae libertatem in singulis rebus cohibeat, ad certum est redigendum. Quapropter homo, quamvis semper ita moratus sit oportet, ut voluntati legique divinae obtemperet, „actu tamen praeceptis ejus obsequi non tenetur, nisi quando ipsi sufficienter innotescant²⁴⁾ — Unde in ea, quae libertati cum lege est controversia, duplex rei ratio esse potest: aut enim lex jus suum argumentis, quibus vis persuadendi inest, demonstrare potest, aut non potest, i. e. aut certa est lex, aut non est. Si certa est, jam liquet, legem vicisse, libertatemque lege cohibitam et obstrictam esse; si certa non est, lex causam perdidit, libertasque in possessione permanet; quod idem atque unum est cum principio nostro: Lex dubia non obligat.

Eodem exit argumentatio, qua s. Alphonsus omnia ea, quae hac de re contra adversarium suum disseruit, apte comprehendit atque concludit. Est enim haec: „Ergo, dicit P. Patutius, homo nascitur liber et independens? — Neutiquam, nascitur potestati divinae subjectus, et consequenter obligatus omnibus parendi praeceptis, quae Deus illi imposuerit; sed ut homo hujusmodi praeceptis ligetur, requiritur, ut illa ipsi promulgentur et innotescant per rationis lumen; sed donec praeceptum non est homini manifestatum, possidet ipse libertatem illi a Deo donatam, quae quum sit certa, nonnisi a praecepto certo ligatur; et quum lex sit regula et mensura, qua homo suas actiones regulare et mensurare debet, oportet quidem, ut haec regula et mensura incerta non sit. Falsum autem est id, quod adversarii autumant, nempe quod nihil possit homo agere, nisi certo sciat, illud sibi fuisse a Deo permissum. Non si hoc esset, lex divina non indiguisset promulgatione, sed tantum opus fuisset, ut Deus omnia, quae nobis permittebat operari, declarasset. Sed Deus non ita fecit: „Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata et praecepta sua: Si volueris mandata servare, conservabunt te etc²⁵⁾. Eecli. c. 15. v. 14. Prius itaque Dominus hominem liberum creavit, ei donando ex suo beneplacito libertatem, juxta illud, quod scribit apostolus: „Potestatem habens suae voluntatis“ I Cor. c. 7. v. 37. Et postea mandata, quae tenebatur servare, adjecit ac imposuit; et ideo hominis libertas, quum certa sit possideatque ante legis obligationem, ipsa nonnisi a lege certa ligatur²⁵⁾

4. Et de hoc quidem principio satis dictum. — Criticus noster identidem arguet, controversia probabilioristas inter et probabilistas praetermissa, praetermississe nos quaestionem partem potissimam. Sed hanc quaestionem prorsus a dissertatione nostra arcendam esse, jam inscriptio commentationis docuit ipsique in exordio professi sumus. Quae vero ipse de hac controversia nobis consideranda proposuit, non possumus quin ad verbum repetamus paucisque illustremus.

Censor noster dixit haec: (Der Verfasser übergeht den Hauptpunkt der Frage. Nicht darum handelt es sich nämlich, dass ein Gesetz, welches nicht hinlänglich gekannt wird, keine unbedingt verpflichtende Kraft hat, sondern) dies steht in Frage, ob, im Falle mehrere Gründe sprechen

Nos respondemus haec. Licere homini, contra legem agere, nemo ex probabilistis contendit. An critico nostro opinio probabilior, quae legi suffragatur, vere certeque probabili suffragante libertati, jam eodem auctoritatis loco est ac (certa) lex? Ceterum opinionem proba-

²²⁾ Scavini l. c. n. 79 et n. 90.

²³⁾ Cf. Alphons. l. c. n. 26 et n. 67. — „Dicendum, quod illud dicitur licitum, quod nulla lege prohibetur“, Thomas in IV. dist. 15. qu. 2. a. 4. — Subtiliter de hac re expositum est in „Zeitschrift für kath. Theologie.“ 1879, pag. 63 sqq.

²⁴⁾ Vid. Müller, l. c. § 81. n. 13.

²⁵⁾ Alphons. l. c. n. 77.

für die Existenz des Gesetzes als für die Nichtexistenz, dann der Mensch gegen das Gesetz handeln darf. Und da hätte der Verfasser die Entscheidung im hl. Alphons gefunden, der von den Probabilisten ja überaus erhoben wird. Im morale systema heisst es: Quodsi opinio, quae stat pro lege, videatur certe probabilior, ipsam omnino sectari tenemur; nec possumus tunc oppositam, quae stat pro libertate, amplecti. Ratio, quia ad licite operandum debemus in rebus dubiis veritatem inquirere et sequi. At ubi veritas clare inveniri nequit, tenemur amplecti saltem opinionem illam, quae propius ad veritatem accedit, quae est opinio probabilior. . . Ad licite operandum non sufficit sola probabilitas . . . unde in praefata dissertatione falsum reputavi illud commune inter Probabilistas, nimirum: „Qui probabiliter agit, prudenter agit“.

Es ist dies eben auch ein Gesetz, dass die menschliche Freiheit eine vernünftige ist und somit dem Urteile der Vernunft zu folgen hat. Die Vernunft nun vermittelt den Grund für das moralische Handeln; wieweit demnach etwas begründet erscheint, soweit ist es vernünftig. Wo also mehr Gründe sind für die eine Seite, wie für die gegenüberstehende, ist es grundlos, letzterer, im Gegensatz zur ersteren, anzuhängen. Dieses Gesetz ist kein zweifelhaftes.

biliorem, ne quis perperam intelligat, intelligi non eam voluerim, quae pluribus, sed quae gravioribus rationibus commendatur. — Thesin eam, quam s. Alphonsus in „morali systemate“ posuit primam, non solum jam dudum novimus, sed ei etiam subscribimus. Arbitramur enim, si altera opinio sit „certe“ et „sine ulla haesitatione“ et „notabiliter probabilior“²⁶⁾, tum alteram vix posse „certe et solide probabilem“ esse. Sed ut haec missa faciamus, nemo nescit, s. Alphonsum aliud systema statuuisse quam probabiliorismum vulgarem, dico aequiprobabilismum, qui quidem a vero probabilismo haud ita longo intervallo distare videtur,²⁷⁾ praesertim si illud respexeris, quod s. auctor principio suo adjunxit: „Parum pro nihilo reputatur“.

Is quidem, qui ex solo probabilitatis gradu, quo duae opiniones inter se differant, eas vel genere inter se contrarias existimat et opinionem probabilioris argumentis comprobata (begründet), probabilem argumentis destitutam (grundlos) habet, is iudicis officio non integre in hac re fungetur. Quis tandem virum vere prudentem, qui comparatur cum prudentiori, propterea imprudentem nuncupabit? Recte jam Quintilianus (Inst. orat. lib. II. c. 17): „Non autem si quid est altero credibilius, id ei est contrarium, quod fuit credibile. Nam ut candido candidius et dulci dulcius non est adversum, ita nec probabi probabilius“²⁸⁾.

²⁶⁾ Addit enim s. Alphonsus thesi suae haec: „Dixi certe probabilior; quia, dum opinio pro lege est certe et sine ulla dubitatione probabilior, tunc opinio illa non potest esse nisi notabiliter probabilior. Et eo casu opinio tutior non erit jam dubia, sed est moraliter aut quasi moraliter certa. . . Unde tunc fit, quod opinio minus tuta, quae certo fundamento caret, remaneat aut tenuiter aut saltem dubie probabilis respectu tutioris.“

²⁷⁾ Vid. Lehmkühl l. c.: „S. Alphonsi et per eum probabilismi approbatio“ n. 86—90.

²⁸⁾ Cf. Hettinger (Timotheus, Briefe an einen jungen Theologen, pag. 401): „Man sage nicht, die wahrscheinlichere Meinung kommt der Wahrheit näher. Denn ob wahrscheinlich oder wahrscheinlicher, beide Meinungen fallen nicht über die Linie der Wahrscheinlichkeit hinaus und können eben darum keine Gewissheit geben. Diese gibt nur für den, der zu handeln hat, der Grundsatz, dass im Falle des Zweifels die Freiheit im Besitz ist“.

B. ORDINIS PHILOSOPHORUM
LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGORUM.

Dr. Franc. Dittrich, P. P. O., h. t. Decanus.

- I. Historiam ecclesiasticam recentioris temporis enarrabit quater per hebd. hora IX.
- II. Jus canonicum tradet bis per hebd. hora IX.
- III. De arte christiana disseret semel per hebd. hora definienda.

Dr. Henricus Oswald, P. P. O.

- I. Humani generis lapsi reparationem per Jesum Christum factam exponet ac deinceps de gratia et justificatione hominis deque praedestinatione disseret quater vel quinques per hebd. hora X.
- II. Repetitiones dogmaticas examinandi et disputandi causa instituet semel per hebd. hora X.


Dr. Hugo Weiss, P. P. O.

- I. Introductionem generalem in libros Veteris et Novi Testamenti docebit horis def.
- II. Prophetas minores interpretabitur ter per hebd. hora VIII.
- III. Evangelium sec. Marcum explicabit ter per hebd. hora VIII.

Dr. Julius Marquardt, P. P. O.

- I. Theologiae moralis partem generalem docebit, repetitiones et disputationes de selectis capitibus ethices christianae adjungens, quinques vel sexies per hebd. hora XI.
- II. De restitutione disseret semel per hebd. hora def.
- III. Patrum apostolicorum et Apologetarum vitas et scripta tractare perget hor. def.

Dr. Antonius Kranich, P. P. E.

- I. Priorem partem Apologetices docebit bis per hebd. hora VII.
 - II. Selectos hymnos ecclesiasticos cum commilitonibus leget semel per hebd. hora def.
- 

B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

Dr. Jos. Krause, P. P. O., h. t. Decanus.

- I. Introductionem in studium philosophiae tradet bis per hebd. h. X.
- II. Logicam et noeticam docebit bis per hebd. h. X.
- III. De arte paedagogica disseret bis per hebd. hora deff.

Dr. Jos. Bender, P. P. O.

- I. Historiae medii aevi partes praecipuas enarrabit bis vel ter per hebd. hora XI.
- II. Germanorum antiquitates imprimis res mythologicas tractabit bis per hebd. hora XI.
- III. De historia poësis christianae apud Germanos cultae disseret semel vel bis per hebd. h. XI.

Dr. Wilh. Weissbrodt, P. P. O.

- I. Inscriptiones graecas et latinas leget ter hebdomade hora IX.
- II. Euripidis Iphigeniam Tauricam interpretabitur bis hebdomade hora IX.
- III. Exercitationes latine scribendi et loquendi moderabitur semel hebdomade hora IX.

Franc. Niedenzu, P. P. O.

- I. Geometriam analyticam tractabit bis hebdomade horis definiendis.
- II. Familias plantarum maxime notabiles illustrabit bis hebdomade hora VIII.
- III. Excursionem ad colligendas plantas instituet semel hebdomade hora definienda.
- IV. In instituto botanico operam daturis aderit horis definiendis.

Dr. Joh. Uebinger.

- I. De litteris philosophicis antiquitatis christianae disseret bis hebdomade hora VIII.
- II. Introductionem in philosophiam historiae dabit semel hebdomade hora VIII.
- III. Exercitationes nec non repetitiones philosophicas moderabitur semel hebdomade horis adhuc definiendis.

Publica doctrinae subsidia.

- I. Bibliotheca, cui praeest **Prof. Dr. Weiss**, commilitonibus patebit diebus Martis et Veneris hora II—III.
 - II. Apparatum arti christianae illustrandae inservientem custodit **Prof. Dr. Dittrich**.
 - III. Sculpturarum veterum imagines gypseas custodit **Prof. Dr. Weissbrodt**.
 - IV. Instrumenta, quae ad physicen, mathematicam et astronomiam pertinent, asservat **Prof. Dr. Niedenzu**.
-

Certamen literarium et praemia.

Renuntiatio iudiciorum de certamine literario a commilitonibus Lycei Regii Hosiani anno superiori inito et quaestionum in annum curren- tem propositarum promulgatio.

Ordo Theologorum has proposuerat quaestiones:

I. Ex instituto regio: Qualem in propagatione generis nostri originem anima hominis habeat, expositis dijudicatisque variis ea de re opinionibus ostendatur.

II. Ex stipendio Scheill-Busseano: De signi s. crucis in cultu divino vi et usu disputetur.

De priore quaestione Ordini commentatio tradita est his inscripta verbis: „Caro ex carne, anima ex Deo est“. Hilarius de Trinit. X.

Dissertatio haec laudem haud parvae eruditionis meretur; est enim diligenti ipsius argumenti investigatione, adhibitis quae praesto erant adjumentis, conscripta; et si quae forte sint, quibus assentiri non poteris, in his quoque auctor plerumque suo jure utitur in rebus controversis opinioni propriae adhaerendi. Elocutio facilis est et bene latina. Quae quum ita sint, Theologorum Ordo commentationem praemio ornandam censuit.

Schedula reclusa nomen prodiit:

A. Borchert, stud. theol.

De altera quaestione dissertatio Ordini oblata est his insignita verbis: „Stat crux, dum volvitur orbis“.

Qua in commentatione sive argumenta ipsa sive modum disserendi respicias, vix quidquam vituperandum videtur, nisi quod oratio in res a quaestione fere alienas nonnunquam discurret. Auctoris e sententia Ordinis praemio digni prodiit nomen:

C. Fieberg, stud. jur. et cam.

Ordo Philosophorum hanc proposuerat quaestionem ex instituto regio: De Christianorum sepulcris ac titulis sepulcralibus.

Una commentatio Ordini subjecta est his verbis insignita: „Obstupuit Urbs, cum in suis suburbiis abditas se novit habere civitates“. Baron. ad ann. 130 II.

Quae quum diligentissime et accuratissime conscripta sit, Ordini quovis nomine digna visa est praemio legitimo.

Rescissa schedula prodiit nomen:

A. Schulz, stud. theol.

In annum currentem **Ordo Theologorum** Commilitones certare jussit de quaestionibus

I. Ex instituto regio: Ex libris Tertulliani et S. Cypriani de oratione doctrina eruatur.

II. Ex stipendio Scheill-Busseano: De decimarum in ecclesiis Germaniae et Warmiae usu ac lege.

Ordo Philosophorum ex instituto regio hanc proposuit quaestionem:

Historia artis antiquae breviter enarretur.

Certantium commentationes sermone latino scriptae et more consueto signatae ante diem Nativitatis Domini a. c. Rectori tradendae sunt

Centaurus Hicetium et Pyromela

Reconstruendo Inductum et Circumscriptum Invenio a Compositioibus
Lycel West Hicetium ante superioribus et inferioribus in annis curris
tam perfectissimum promississimum

Hicetium Inductum
Lycel West Hicetium ante superioribus et inferioribus in annis curris
tam perfectissimum promississimum
Lycel West Hicetium ante superioribus et inferioribus in annis curris
tam perfectissimum promississimum

Inductum et Circumscriptum
Lycel West Hicetium ante superioribus et inferioribus in annis curris
tam perfectissimum promississimum
Lycel West Hicetium ante superioribus et inferioribus in annis curris
tam perfectissimum promississimum

Inductum et Circumscriptum
Lycel West Hicetium ante superioribus et inferioribus in annis curris
tam perfectissimum promississimum
Lycel West Hicetium ante superioribus et inferioribus in annis curris
tam perfectissimum promississimum